



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

18. S. Lucas Evangelista

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

584 XVIII. Octobr. S. Lucæ Evang.

Hujus enim exuvias sacras cùm equi in-  
domiti in eremum reducerent sponte,  
cerei ponè incensi, frustrà flantibùs ven-  
tis, luxère continuò. Chare mi! Quis  
vigilabit pro nobis? Deus, Maria, Ange-  
lus Custos, S. P. Benedictus, B. Gallus,  
& Patroni cæteri. Cavendum, ne no-  
strâ improbitate eorum offendantur  
oculi.

*Instructio meritoria.*

Componamus nobis Litanias de San-  
ctis Patronis, quas frequentius per heb-  
domadem accensò devotionis lumine,  
recitabimus ante cubitum. Sic multo-  
rum comitatu ibimus ad cœlum.

Festum S. Lucæ Evangelistæ  
Beatissimæ Virginis, & S. Pauli  
Discipuli Piissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

**M**edicum Antiochenes veneran-  
tur in S. Luca peritissimum : sed  
nobiliorem Ecclesia, quia animas Chri-  
sto restituit plurimas. Quô medicami-  
ne? Dei verbô. Amandissime! Dedit  
& os nobis Deus. Cur tacemus, dum  
cla-

clamandum pro honore Divino , & salute proximi? Quare & loquimur , dum præstaret tacere ? Qui custodit os suum , custodit Deum , & animam suam ; qui autem inconsideratus est ad loquendum , sentiet mala . Prov. 13.

*Instructio meritoria.*

Verè medicinâ indigemus in lingua . Sit hæc vel hodie in honorem S. Lucæ cauta , gravis , & circumspæcta ; & sanabitur tota , attendamus igitur , quid dicamus : Et quidquid dicendum , dicamus cum sale & ratione . Stateram , & pondus ut verbis statuamus nostris , sæpiùs signemus signo S. Crucis linguam cum dicto : *Benedicamus Patrem , & Filium cum S. Spiritu &c.* recitetur Psalmus : *Deus in adjutorium meum intende.* Lingua prona est in malum ab adolescentia sua . Ergo munienda .

II.

S. Pauli Apostoli Divus Lucas fuit sectator , & omnis peregrinationis , sollicitudinis , & sancti laboris individuus comes . Hanc amicitiam approbat cœlum ; nefariam prohibet . *Melius enim est,*

B b 5

est,

586 XVIII. Octobr. S. Lucæ Evang.

est, ait S. Isidorus, habere malorum odium, quam consortium. Bonorum virtus, & exempla sunt tutissima ad Deum via. Amicus fidelis protectio fortis; qui invenit illum, invenit thesaurum. Eccli. 6.

*Instructio meritoria.*

Pii, & exemplares amici nullibi defunt. Jungamur in unum. Cum sancto sanctus eris. Pietas, & illustria virtutum exempla ut Deus augeat in suis fidelibus ad commune totius Ecclesie emolumentum, recitemus coram Crucifixo Jesu, aut Sanctissimo Altaris Sacramento *Litanias de omnibus Sanctis*, ter repetendo: *S. Luca ora pro nobis.* Bis repetita placent, ter repetita magis.

III.

**S.** Lucas primus omnium pinxit Mariam. Pictores non sumus, mi fili! Esse tamen possumus, si puritatem, si modestiam, & humilitatem Mariæ in nostris exprimamus sensibus, membris, operibus, & verbis. Hoc expectat Mater à filio: Quis renuet? Dicamus ergo ô dilekte, quod olim S. Ildephonsus:

*Uti-*



*Utinam vitâ meâ prædicem te, Virgo!  
Quantum prædicanda es! Utinam dili-  
gam, quantum diligenda es! Utinam ser-  
viam tibi, sicut serviendum est gloriæ  
tuae!*

*Instructio meritoria.*

*Ut concedat, quod petimus & opta-  
mus, Maria, quoties transibimus hodie  
Imaginiæ Beatissimæ Virginis, toties sa-  
lucabimus flexis genibüs pronuntiantes  
corde, & ore: Monstra te esse Ma-  
trem, sumat per te preces, qui pro nobis  
natus, tulit esse tuus.*

**Festum S. Petri ab Alcantara**

*Veri pœnitentium speculi ex Or-  
dine S. P. Francisci.*

**EXHORTATIUNCULA I.**

**P**auper pauperem secutus est Jesum,  
relictis, quæ vana, & inania vidit  
in sæculo. O quam providè, & sapien-  
ter! Audiit videlicet pius Petrus ex ore  
Christi: *Qui non est tecum, contra me  
est; & qui non colligit tecum, dispergit.*  
Ut quid igitur dividimus corda inter  
Christum, & corruptum sæculum? Jesus

Bb 6

cor